Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8321
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

qua dilectione operetur bona. Unde psalmista. Deus meus inquit misericordia eius
praeveniet me. Et misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Et
hoc est maximum divinae pietatis in nobis indicium. quia necdum
ipsi pro peccatis nostris eum petere possemus. misit ille filium suum ad nos.
qui nobis in se credentibus ultro veniam daret. nosque ad paternae gloriae
societatem vocaret. In quibusdam codicibus hic versiculus ita legitur. Et
misit filium suum litatorem pro peccatis nostris. Litator autem sacrifica-
tor est. Sacrificavit enim filius dei pro peccatis nostris. non hostias pecudum.
sed se ipsum offerendo. Unde bene paulus apostolus ammonens ait. Esto-
te imitatores dei sicut filii karissimi. et ambulate in dilectione sicut et
christus dilexit nos. et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam
deo in odorem suavitatis. Cui sententiae convenit hoc. quod hic quoque
exhortando iohannes subiungit dicens. Karissimi. si sic deus dilexit nos. et nos
debemus invicem diligere. Quod autem sequitur deum nemo vidit umquam.
maiore expositione indiget. cum dominus ex omnibus mundo corde deum
videndum promittit. et de sanctis dicat quod angeli eorum in caelis semper
vident faciem patris. Hanc autem sententiam et in evangelio suo po-
nit idem iohannes. Ubi etiam quomodo deus videri possit. consequenter adiungit
dicens. Unigenitus filius in sinu patris ipse narravit. quod beatus pater *(marg.: qui est)*
ambrosius ita exposuit. Et ideo deum nemo vidit umquam. quia eam quae
in eo habitat plenitudinem divinitatis nemo conspexit. nemo
mente aut oculis comprehendit. Vidit enim ad utrumque referendum est.
Denique cum additur. unigenitus filius qui est in sinu patris ipse enarravit.
mentium magis quam oculorum visio declaratur. illa oculis. haec mente *(marg.: Species enim videtur virtus vero narratur)*
comprehenditur. Item beatus augustinus in libro de videndo deum. eandem
disputans quaestionem. proinde inquit narrante unigenito.
qui est in sinu patris narratione ineffabili creatura rationabilis
munda et sancta impletur dei visione ineffabili quam tunc consequemur. cum ei
aequales facti fuerimus. Quo sicut videntur ista visibilia corporis
sensibus. Nota deum nemo vidit umquam. Quod si aliquis eo modo visus est.
non sicut ista natura videtur. Sed voluntate visus est specie qua vo-
luit. apparens latente natura. atque in se incommutabiliter per-
manente. Eo autem modo quo videtur sicuti est. nunc fortasse videtur a
quibusdam angelis suis sanctis. A nobis autem tunc ita videbitur. cum ei